

Admodum R/de Pater, Accepi literas R.V. datas 18. Octobris, et rursum alias 18 Novembris. Non respondi continuo ad priores, quia expectabam responsionem ad meas, quibus adiuncta erat duplex censura ad primum librum R.V. huc missum, et ardebam scire, quo modo eam accepisset R.V. Sed jam nolui differre responsum ad has duas epistolas, etiam si, quod miramur P. Assistens et ego, R.V. ad nostras non responderit. Scribo igitur ea potissimum de causa, ut sciat R.V. has duas epistolas pervenisse ad nos, et non esse amissas, ut nostrae fortasse in itinere perierunt. Deinde addo libellum illum famosum sub nomine Novi hominis, a Pontifice contemni, tanquam librum incerti auctoris; quilibet enim potest incerto nomine quidquid libet comminisci; et veremur, ne si respondeatur, rursus pro uno libello multi exoriantur, ut Hydrae capita. Sciat tamen R.V. multa ibi esse mendacia, nam ego in brevi transcurso libri, quindecim mendacia notaveram. Calumnia capitalis, quod post Gregorium XIII nullus fuerit verus Pontifex, et nulli nunc sint veri Cardinales, fundamento penitus caret. Constitutio si quidem Julii secundi statuit ut non possit esse Papa, qui potest convinci aperte, et notorie de crimine simoniae in papatu obtinendo. At Sixtus V. nullo pacto convinci poterat; nam neque constabat verum esse quod dicitur de promissione facta Cardinali Estensi, et quando id constaret, non constaret, an illa promissio fuerit simoniaca: potuit enim esse simplex promissio absque ullo pacto; et quando id etiam constaret, extat Bulla Pii quarti, qui statuit, ad vitanda schismata, omnes Cardinales habere votum activum, et passivum in electione Pontificis, et quo ad hoc tantum, cessare omnes censuras, quae alias in suo robore manent. Denique nullo colore defendi potest quod ipse Novus homo tanquam certum ponit. Deinde dicit Novus homo, omnes Cardinales, qui elegerunt Urbanum VII, successorem Sixti V, fuisse a Sixto ipso creatos; quod est evidenter falsum. Fuit enim Urbanus VII electus a viginti octo Cardinalibus superiorum Pontificum, id est Julii III, Pii IV, Pii V, Gre-

/ gorii XIII, et a viginti quinque Cardinalibus Sixti V. Quare etiam-
si isti viginti quinque fuissent Cardinales falsi, et eorum votum n
nihil valuisset, tamen Urbanus fuisset verus Papa, ut pote creatus
a viginti octo Cardinalibus veris. Quod idem dici potest de Ponti-
5 fice Gregorio XIV. et Innocentio IX. et Clemente VIII. et hoc Paulo V,
qui nunc sedet; nam Gregorius ^X XIV., Innocentius IX, et Clemens VIII
creati sunt a 26 Cardinalibus Pontificum, qui praecesserunt Sixtum V;
proinde erant veri Cardinales, et veros Pontifices crearunt. Quare
nullo fundamento nititur principalis propositio Novi hominis, vel
10 pptius inveterati dierum malorum, quod post Gregorium XIII Ecclesia
caruerit veris Pontificibus verisque Cardinalibus. Haec scribere x
volui R.V. non ut edat responsionem aliquam inconsulto Pontifice,
sed ut colloquendo possit scrupulos eximere ab iis, qui forte libel-
lo illo permoti fluctuarent. His valeat R.V. mei memor in sacris
15 p recibus suis. Romae die 30 Novembris 1613.

R.V.

frater, et servus in Christo

Robertus Card. Bellarminus.

(adresse):

20 Admodum R/do Prè Prè Adamo Contzen Societatis Jesu

Moguntiam. (cachet)

Münster. Archiv. Status. Jesuitica in genere, fasc. XIX, n. 324. Autogr.
sauf l'adresse.

Döllinger, Geschichte der Moralstreitigkeiten... t. II. p. 259-260.